

Aduertencias para

dine se inebriandi, inebriaturos; tunc mortaliter peccant. Aut indifferenter omnibus vendunt volentibus emere, & tunc secundum ipsum Navarro, non sunt absolubiles, nisi a tali desistant venditione. Idem dicendum de vero vino Hispanico quantum ad illos qui ipsum vendunt ijs, quos credunt bene vel male eo vsuros. Tamen quando indifferenter vendunt, puto eos non peccare, quia communiter homines bene eo vtuntur. Qui autem venderet ijs, quos verisimiliter credit quod inebriabuntur peccaret mortaliter, vt dixi. ¶ Circa hoc nota quod quando viderint Clerici vel religiosi quod in aliquo loco multi Indi communiter inebriantur vino quod dicitur Octli, hoc denuntient iustitiae saeculari vel etiam Episcopo, vt hoc peccatum impediatur. Sed in propria persona non effundant ipsum, neque vasa in quo est frangant. Quod si iudex non impedit talem venditionem, hoc patitur, sicut Ecclesia solet, & patitur lupanaria: & non propterea iudicent iudicem illum, qui hoc patitur de peccato mortali, quia forte licet videat hoc malum, tamen videt maius malum esse si ipsum impedit, & si iuste hoc patitur: sicut Matth. 13. Dixit Dominus zizania non esse